

✠ Lécctio sancti Evangélii  
secúndum Marcum

15, 33-39

- <sup>33</sup> **F**acta hora sexta,  
ténébræ factæ sunt per totam terram  
usque in horam nonam.
- <sup>34</sup> Et hora nona exclamávit Iesus voce magna:  
«Heloi, Heloi, lema sabachtháni?»,  
quod est interpretátum:  
«Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me?».
- <sup>35</sup> Et quidam de circumstántibus audiéntes dicébant:  
«Ecce Elíam vocat».
- <sup>36</sup> Currens autem unus et implens spóngiam acéto  
circumponénsque cálamo potum dabat ei dicens:  
«Sínite, videámus, si véniat Elías  
ad deponéndum eum».
- <sup>37</sup> Iesus autem, emíssa voce magna, exspirávit.
- <sup>38</sup> Et velum templi scissum est in duo  
a sursum usque deórsum.
- <sup>39</sup> Videns autem centúrio, qui ex advérso stabat,  
quia sic clamans exspirásset, ait:  
«Vere homo hic Fílius Dei erat».

Verbum Dómini.